



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Gallus Abb. 16. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

16. Octob. VITÆ SANCTORVM. 505  
quarum quidem ingens argumentum fuere nunc  
prodigiosus in vultu splendor, nunc cum animo  
suo in aërem etiam corpus abreptum. Et fuit,  
cum sic precanti è cruce bene ultro Christus  
præcicaretur, & rata omnia vota ejus haberet. Ho-  
rum scilicet compendium cælum erat, quod in-  
gressa est HEDWIGIS inter Theclæ & Catharinæ  
aliarumque Virginum comitatum, ut & tunc  
Principem crederes. Ex Surio.

*Qui ad caelestes nuptias firmæ spei gradibus festinas,  
non parvam partem substantiæ in tuto loco repone: mar-  
supium autem sinus est pauperum, sustentatio misero-  
rum. Hoc est fidele depositarium sine ullo prorsus detri-  
mento, quod susceperat, redditurum. S. Pet. Dam. l. 8.  
epist. 14.*

S. GALLUS ABB. 16. Octobris.

GALLVS ad Laci Brigantini incolas Columba-  
no duce venit, quem in literis & pietate ma-  
gistrum habuit. Hic permultis auctor fuit, da-  
mnatâ superstitione, ad Christi partes transeun-  
di: ipse antra silvasque à colubris & lemuribus  
purgatas melior hospes cœpit incolere, commea-  
tum sæpius cælo suppeditante. Et fortè preces Nu-  
mini faciebat, cum ursus adfuit pauperis cœnæ  
reliquias populaturus. Sed jubet GALLVS lignum  
potius fur comportet, eoque focum foveat. Facit  
ille imperata, & in laboris stipendium panem ca-  
pit. Tum Divus cum eodem ita paciscitur, com-  
munem uterque montem haberent, cæterum ne-  
mini deinceps mortalium ursus noceret. Has in-  
quam leges homo tulit, & sacrosanctas fera ha-  
buit. Vidit hoc & invidit orcus, omni que vi pel-  
lere GALLVM est aggressus. Sed facile hic iterum

in fugam versipellem hostem egit, victor trophæum Crucis erexit, & præsidium sacra Divorum lipsana imposuit. Quin longiùs etiam hostem persecutus, pepulit è filiâ Ducis Gunzonis, quam infederat, Galliarum tum regis, sed Christi postea sponsâ. Et poterat in præmium accipere infulam Constantiensem, nisi hanc, quam tanti alii faciunt, nihili ille fecisset. Itaque ad majora præmia, & GALLO digna, cælum evocavit. Ejus funus equi ferocissimi sponte ad sepulturæ locum duxerunt. usque adeò nihil ferum in orbe est, quod virtus non domet. Ex VValfrido Strabone apud Sur.

*Vtinam sapiamus ad præsentis vitæ moderationem! utinam intelligamus ad præteritæ correptionem! utinam devotâ in Deum fide provideamus, ut felicem habeamus, ipso miserante, consummationem!* S. Bern. serm. 2. de SS. Pet. & Paul.

## S. ANDREAS M. 17. Octobris.

**B**ello, quod sacris DEI Divorumque imaginibus barbarus Copronymi furor indixerat, multum virtus ANDREÆ enituit: quippe qui sub ejus statim initia è Cretâ Constantinopolim advolavit linguâ & pectore propugnaturus pietatem. Et nimirum (clamabat ille in publico virtutis theatro) majores nostros, qui pulchram pro patriâ mortem oppetierunt, stantes in saxo, in ære, in auro suspicimus; at verò qui pulchrius pro cælo sunt mortui, nullo honore dignabimur? Tibi homini, Copronyme, aureas poni statuas, & surgere cælo colossos spectabimus, neque impunè hos quisquam nostrum jam violabit; tu verò cæli Imperatoris imagines, tu Imperatoris Mattis magnæ, tu amicorum hujus gratis eversum  
ibis?